


# † NECROLOGIA †

† Pl. R. P. Ludovicus Wouters (1864-1933)

(Prov. Holland.)

Quo tempore Provinciales nostri Romae ad peragenda festa bis centenaria congregati erant, dignus Hollandicae Provinciae Superior e vita terrestri avocatus est, ut inter Superos, uti speramus, apud ipsum S. Patrem nostrum caelesti festivitati interesset et tot tantorum que laborum mercedem reciperet.



*A. Windhausen pinx.*

noviciatum missus est ibique festo S. Teresiae a. 1882 perpetua vota nuncupavit. — In Wittemensi studentatu semper magis eius praeclarae dotes apparebant. Quanta vi et eloquentia Fr. Wouters theses publicas defendebat! Quantopere alii thestiae eius obiectiones metuebant! Cum in missionum academia declamabat, nonnulli eum alterum P. Bernardum Hafkenscheid futurum esse ominabantur. Externe quoque proficiebat, certam morum asperitatem magisque abiiciens.

Sacerdotalem ordinationem Amstelodami d. 6 Iun. 1888 recepit, et in sequenti mense Augusto in Ruraemundense collegium mittitur, lector rhetorices; verum iam post annum iubetur a theoria ad proxim transire, et per 15 annos (1889-1904) manet missionarius. Ipse quondam ait se saltem 100 missionibus interfuisse. Etiam spiritualia exercitia saepenumero sacerdotibus religiosisque dabat. Sic igitur acquisivit profundam

Pl. R. P. Ludovicus Wouters, in Brabantiae Hollandicae pago *Vessem*, dioecesis *Buscoducensis*, d. 19 Nov. 1864 natus, mature patre orbatus est et duodennis Ruraemundam in nostrum iuvenatum, tunc temporis valde parvum, venit. Ex quattuor suae classis discipulis primo in schola erat ultimus, postea primus. Excellebat quoque peculiariter in declamando, et in fabulis dramaticis mira arte partes «antagonistae» agebat.

Exactis quinque annis, prout tunc moris erat, *Silvam Ducis* in

illam cognitionem vitae humanae, qua postea ut theologus moralista ac Superior opus habebat. In sacro suggestu, licet apostolico zelo contionatur, non tamen habebat externum illum successum a multis exspectatum, quia eius sermones, sane magna cura lucubrati et diligenter memoriae mandati, audientibus non adeo placebant, utpote pectoris calore partim egentes nec satis populares.

Inter varios labores ministerii apostolici, sive externi sive etiam interni, P. Wouters studia seria, imprimis theologiae moralis, prorsus non negligebat. Praesertim morale systema S. P. N. Alfonsi cum alliciebat, et cum de eo vertente saeculo XIX gravis controversia exorta esset, ipse quoque in palaestram descendit, evulgata primum (1900) breviore, at fortis commentatione in foliis periodicis *Dé Katholiek* et *Der katholische Seelsorger*, ac postea (1905) integro libro polemico, qui inscribitur *De Minusprobabilismo*. Libri compendium est eiusdem auctoris *De systemate morali Dissertatio* (1909, 2<sup>a</sup> ed. 1918).

Interim annus 1904 vitae Patris Wouters novum dedit cursum, siquidem iussus est missionali operae valedicere ac levitas Provinciae theologiae morali et pastorali instituere. Sic initium sumpsit lectoratus eius 14 annorum, partim Wittemii, partim (1909-1911) Romae in nostra Schola Maiore exactus. Lectori quadragenario satis non erat manuale scholasticum discipulis explanare, sed, ut erat ingenio pollens, novum textum componere coepit magis systematicum magisque in ultimis principiis fundatum, quem vertentibus annis indefessa opera recognovit, perpolivit, adauxit, tandemque paulo ante obitum publici iuris fecit.

Iam antea ostenderat egregio suo *Commentario in Decretum «Ne temere»*, quantum ipse, etsi hac in re  $\alpha\beta\tau\omega\delta\bar{\iota}\delta\chi\kappa\tau\varsigma$ , etiam in provincia iuris canonici valeret. Libellus, magno plausu ubique acceptus, usque ad Codicem quater editus est atque a. 1919 novo titulo *De forma promissionis et celebrationis matrimonii* prodiit. Ad theologiam moralem pastoralemque scriptor noster rediit tractatu suo *De castitate et de vitiis oppositis* (Brugis 1929, 2<sup>a</sup> ed. 1932); anno autem superiore coepit apparere opus illud grande, diu expectatum, maturus diuturni arduique laboris fructus: *Manuale Theologiae Moralis*. De tomo I videsis *Analecta XI*, 385 sq. et de tomo II infra p. 252. Hic tomus demum post auctoris obitum lucem aspexit, at ipse, iam morti proximus, ultima specimina typographica correxit.

P. Wouters in docenda theologia morali interim annum aetatis quinquagesimum quartum attigerat et procul dubio hanc tranquillam vitam se continuaturum sperabat, cum a. 1918 supremi Moderatoris nostri fiducia collegio Wittemensi praepositus est. Probe sciens in domo studentatus, si ullibi, regularem observantiam summe necessariam esse, eam omnibus viribus promovebat, peculiariter postulans, ut silentium quam accuratissime servaretur et ut clerici studentes *soli Deo et studiis* viverent. Ea de ratione

primo non favebat augmento illi cultus S. Gerardi nostri, quod tum Wittemii manifestari coeptum est; timebat enim, ne inde solitudo iucunda domus studiorum turbaretur. At ubi intellexit tale incrementum in Superiorum voluntatibus esse, hanc devotionem opibus viribus auxit, sine studiorum quidem damno, et cum incredibili emolumento, etiam temporali. Ita folia periodica *Gerardus-Klokje*, a. 1920 publicari coepta, nunc 34 000 subscriptorum habent, et ecclesia Wittemiensis magis magisque evasit verum Sanctuarium Gerardianum, ad quod undique fidelium catervae supplices confluunt.

P. Rectorem Wouters confratres a. 1921 elegerunt I Vocalem pro Capitulo generali. In hoc augusto coetu adscriptus est commissioni « de formatione iuuentutis ». Postea, cum Rm̄us P. Generalis ei in aureum professionis iubilaeum gratularetur<sup>1</sup>, inter iubilarii merita disertis verbis etiam illud commemoravit, quod in Capitulo fructuosam suam operam contulisset ad Regulas et Constitutiones nostras perficiendas ac Codici adaptandas.

Decurrente altero rectoratus triennio (1921–1924) in Hollandia agebatur de Universitate catholica Noviomagi instituenda, et ab auctoritate ecclesiastica P. Wouters efflagitatus est, ut cathedram theologiae moralis occuparet; tanta auctoritate iam tunc in patria fruebatur. Verum hoc munus, Regulae nostrae minus conforme, feliciter aufugere potuit.

Anno 1924 ad regendam universam Provinciam vocatus, repperit quaestionem urgentem solvendam: Ubi Provinciae iuvenatus erit? Divisio enim tunc vigens, vi cuius cursus inferiores Ruraemundae, superiores Vaalsii instituebantur, neutri parti plene probabatur. Itaque novus Provincialis audax consilium cepit novam scholam apostolicam, quae 150 adulescentulos caperet, cum novo collegio Congregatorum novaque ecclesia publica a fundamentis exstruere, et quanta magnificentia hoc consilium exsecutus sit, omnes sciunt, qui unquam Montem Nebo prope Noviomagum inviserunt<sup>2</sup>. Huc P. Wouters approbante Rm̄o P. Generali etiam residentiam suam a. 1930 transtulit, duobus primis provincialatus triennis Wittemii exactis, quo melius magna domus bibliotheca ad opera sua litteraria uti posset.

Ante conditum Montis Nebo iuvenatum defunctus confrater iam alium pretiosum fructum Provinciae collegerat, a praedecessore Pl. R. P. Ioanne Kronenburg maximam partem paratum: novam fundationem loci *Zenderen*, ubi domus Congregatorum et domus exercitiorum coadunatae sunt, licet sine ecclesia publica<sup>3</sup>.

Exeunte a. 1930 Episcopus Harlemensis Patri Provinciali duas domus recessuum dioecesis proprias obtulit: *Noordwijkerhout* et *Bergen*<sup>4</sup>. Sic ef-

<sup>1</sup> Cfr. *Analecta XI* (1932), 358 sq.

<sup>2</sup> *Analecta VIII* (1929), 24-30.

<sup>3</sup> *Analecta VII* (1928), 93-96.

<sup>4</sup> *Analecta X* (1931), 294; *XII* (1933), 91.

fectum est, ut ex undecim dominibus exercitiorum intra Batavorum fines florentibus nunc quinque Redemptoristis sint concreditae.

De interno Provinciae regime notanda veniunt ea quae P. Wouters fecit ad sistema missionale necessitatibus horum temporum magis accommodandum, habitis hunc in finem cum selecto missionariorum coetu variis conferentiis. In fine singulariter commendavit missiones per varios maioris alicuius civitatis vicos institutas (*Wijk-missies*), quae in regionibus germanicis *Haussmissionen* nuncupantur.

Inde ex a. 1929 etiam arduum officium in se suscepit fere omnes per Provinciam cursus exercitiorum spiritualium distribuendi. Qnare semper secum habebat bina folia magna, in quorum uno accurate notati singuli cursus expetiti, in altero nomina missionariorum et dies adhuc liberi. Iuxta haec data Superior Provincialis, ceu dux militaris, copias suas, saepe telefonice, distribuebat.

Sed fieri nequit, ut brevi necrologio omnia et singula enumerentur, quae actuosus confrater fecit, sive pro Provincia, sive pro duabus Vice-Provinceis, Surinamensi et Brasiliana, item ipsi carissimis, sive pro aliis Provinceis aut exteris. Ita in Belgica Provincia a. 1932 visitationem canoniam extra ordinem peregit. Potius nunc exitum vitae operibus bonis adeo fecundae breviter enarremus.

P. Wouters iam diutius aegrotabat, verum ipse id nescisse videtur, et solum mense Aprili h. a. se non iam valere confessus est. Doloribus internis multum crescentibus dilectus confrater d. 4 Maii in nosocomium catholicum civitatis Nijmegen transportatur ibique d. 13 eiusdem mensis subiicitur chirurgicae operationi, proh dolor, serius. E vesica bilis multum inflammata sex calculi esxtracti, quorum unus magnitudine parvi ovi gallinacei. Non dubitabant medici, quin P. Provincialis iam diu multas molestias senserit, de quibus tamen pro energica sua voluntate nunquam questus erat. Insuper post mortem vestigia cancri reperta. Die 14 Maii, Dominicana IV post Pascha, pie recepit ultima sacramenta, et postridie, postquam vota sua religiosa, plene sui compos, renovavit et humillime culparum omnium veniam petiit, plene sese divinae voluntati submittens, animam Creatori ac Redemptori reddidit. Die 18 Maii cum debita sollemnitate corpus in Monte Nebo terrae mandatum, iuxta corpus R. P. Christiani Boomaars, cui inde a iuvenatu condiscipuli<sup>1</sup>.

Huic necrologio apposita cernitur defuncti P. Wouters effigies a clarissimo A. Windhausen picta et in collegio Montis Nebo asservata. Quam qui attente contemplatus erit, facile iudicabit Patrem Wouters fuisse virum fortem seu energeticum, multis aliis superiorum, at severum quoque praesidem. Neque talia iudicia sunt falsa. Quam severe, ut unum afferamus, P. Rector Wouters silentium inculcatabat! Cum quis in vicinia cubi-

<sup>1</sup> Cfr. *Analecta X* (1931), 218 sq.

culi eius voce paulo altiore loquebatur, in aperta porta mox vultum Rectoris serio monentis conspiciebat, et forte opportunitatem (alias non adeo frequentem) accipiebat servandi Constitutionem 289: « Cum ab illo (Superiore locali) corripiuntur, statim in genua procumbent ». Huc etiam facit brevitas illa laconica, quae in Patris Wouters epistoliis notabatur, v. gr.: « Ad 1<sup>m</sup>: negative; ad 2<sup>m</sup>: iuxta petita! » Quamquam huius brevitatis ratio magis quaerenda videtur in sribentis studio evitandi omnem temporis pretiosi iacturam; propterea etiam diariis legendis abstinebat. Quod sine mora ad subditorum epistolas respondebat, nemo non laudabat.

Ceterum P. Wouters innumera dedit documenta sibi non fuisse animum inhumanum durumque. Quisquis eum adibat, benigne excipiebatur. Generose subditis aegrotantibus succurrebat, expensis minime parcens. Nec solum erga subditos, sed in alios quoque animi sui bonitatem haud semel demonstravit, uti confinis Provinciae Germaniae Inf. sodales, eius beneficiorum concii, palam professi sunt Patri Wouters in annalibus Provinciae locum honorificum deberi. Cum monasterium Marienthal Monialium a SS. Redemptore, haud procul a Wittem situm, capitalibus orco inflationis absumptis in summum discrimen venisset, P. Rector Wouters de hoc negotio in sacro suggestu ad populum locutus est et ipse bonos regionis agricolas adiit cibaria emendicatum, nec sibi prius requiem dedit quam bona monasterii in nova basi collocasset. Et quoties aliquam elemosynam offerrebat, teste coenobii moderatrice palam fiebat in ipso denuo verum fieri illud Domini: *Beatus est magis dare quam accipere.*

P. Wouters erat indole cholericus, quam tamen indolem virtute dombat. Facilius aliorum aestimationem, immo admirationem sibi conciliabat quam teneri amoris affectum. Sagaci suo ingenio et speculativas et practicas quaestiones pariter penetrabat. Mirabantur, quod hic domo doctissimus, tamdiu in cella libris volvendis occupatus, postquam Superior creatus est, etiam negotiorum pecuniariorum apprime intelligentem se gerebat. Clare videbat finem obtainendum et media ad finem et varias rei circumstantias et impedimenta superanda; quibus omnibus consideratis capiebat sua consilia eaque firma voluntate prosequebatur usque ad victoriam. Pietate sua solida summe aestimabat augustissimum Missae mysterium, et ad altare hoc Sacrificium offerens omnibus erat aedificationi. S. Patris Alfonsi exempla et doctrinam plurimi faciebat. Amabat Congregationem toto cordis affectu et praeclaras dotes a Creatore receptas indefessa opera ei dicabat, neque quisquam negabit eum qua missionarium, qua Lectorem, qua scriptorem, qua Capitularem, qua Superiorem localem, qua Provincialem Alfonsianae familiae insigni utilitati ac decori evasisse.

Libenter igitur ei adaptamus illud Apocalypsis: *A modo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos.*